

mē in apertum inter Reformatos & Pontificios Cantones eruperunt bellum. Distat Wartoviā ab oppido Sargans i. h.

D. 15. Sept. Mons, qui Venæ Chalybis Sarunetanæ est impositus, vocatur *Belfris*; pascua ejus ad Wartoviensem Parochiam pertinent. Nomen hoc est antiquum Rhæticum, cuius generis plura adhuc in his Regionibus reperiuntur, ut in Comitatu Werdenbergico, Dominio Gamsensi, Præfectura Saxensi, Valle Rhegusca, e. g. *Prada Strada*, i. q. *Pratum, Stratum*, locus in districtu Wartoviensi, zu prend esen, prandere, ruppen, q. d. rupes, montis, qui Palæopoli imminet, summum ferè jugum, &c.

*Wartoviā* hodie digressi iter continuavimus per pagos *Sevelen* h. i. *Räfis* 1. *Buchs*. *Werdenberg* h. i. *Grabs* ½. *Gams* ½. *Sax* ½. *Frümsen* ½. *Forsteck* ½. ubi Baronum de Sax antiqua, nunc Præfecti Tigurini est sedes. Nunc Præfecturā fruitur D<sup>r</sup>. Wolphius, qui multa nos exceptit humanitate. Est hæc arx undique sylva cincta, eminenti situ locata, & contra primos hostium insultus muris & Vallo cincta, insuper Armentario instructa, in quo adhuc visitur Baroniis cuiusdam de Sax Armaturā Ferreā cum Lancea, quā usus fuit in decursoriis. Vidi quoque baculum magicum ē ferro bicornem.

Dimidiā horā ab Arce profluit ex Rupe rivus, de quo perhibent, trahere eum originem suam ex Lacu Alpino *Diffen-tisser See*, in Pascuis Abbatiscellani montis Gamor conspicuo.

In sylva propè *Forsteck* est *aqua sulphurea*, & alia prope pagum *Sax*.

Memoratu est dignum, & Præfecto loci in primis pro Oeconomia scitu necessarium, pecora, quæ in sylva Arcis & pratæ vicinis educantur, in pagis vicinis benè vivere, & pingue fieri: alia ē contra, quæ aliunde ex vicinissimis Pagis *Sax* & *Sennwald* in Præfecti terras advehuntur, brevi emori. Rationem pertendunt ex Rusticis loci quidam, quod Præfecti pecora in sylva multa vescantur *Fragaria*, quæ ipsa reddat salubriora, ut alibi quoque vitam servare queant; alii, quod quæ in paludosis primum nutrita sint locis, postea in sylvis non facile vitam sanam protrahere possint.

Po-